S.^MI D. N.

D. CLEMENTIS PP. VIII.

Approbatio, & confirmatio Decreti æditi ab Illmo & R.^mo D. D. Cardinali Matthæio totius Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia Protectore,

CONTRA ACCIPIENTES BONA Monaſteriorum, ſeu Conuentuum fratribus ſtrictioris obſeruantiæ dicti Ordinis Reformatis nuncupatis, concedendorum.



ROMAE

Ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ. M.DCIII.

CLEMENS PAPA VIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Decet Romanum Pontificem ea, quæ pro indemnitate & vtilitate Ordinum illorumq; Monasteriorum, seu Conuentuum per Superiores prouide facta sunt, vt inuiolatè obseruentur, Apostolicæ firmitatis robore communiri. Cùm itaque, sicut accepimus, dilectus filius noster Hieronymus tituli S. Pancratij Presbyter Cardinalis Matthæius nuncupatus totius Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Obseruantia Protector pro omnium fratrum Reformatorum eiusdem Ordinis, nunc, & pro tempore vbilibet existentium indemnitate, vtilitate, & prosperitate, infrascriptum Decretum ediderit tenoris sequentis, vz. *NOS HIERONYMVS miseratione Diuina tituli S. Pancratij S. R. E. Presbyter Cardinalis Matthæius totius Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia Protector, Corrector, & Gubernator.* Cupientes indemnitati, vtilitati, & prosperitati omnium fratrum strictioris obseruantiæ Reformatorum nuncupatorum dicti Ordinis, nunc, & pro tẽpore vbilibet existentium, ac in primis animarum saluti, quantũ cũ Domino possumus, consulere, ac prouidere, præsentis Decreti vigore, omnibus, & singulis Ministris Prouincialibus, alijsq; tam Prælatis, quàm subditis nostræ Protectioni, & gubernio concreditis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ac mandamus, ne deinceps quis illorum cùm contigerit Monasterium, seu Conuentum aliquem pro reformatione introducenda, fratribus Reformatis (vt præfertur) de mandato Superiorum effectiuè concedi, tradi, ac assignari, siuè

an equam effectiuè assignetur, de huiusmodi assignatione facienda notitiam quoquomodo habuerit, audeat, vel præsumat, per se, vel alium, quomodolibet directè, vel indirectè, sub quouis prætextu, aut quæsito colore, detinere, auferre, abscondere, aut alijs, siue intra, siue extra Ordinem tradere, aut secum deferre, quicquam attinens, vel pertinens quouis titulo, modo, aut forma ad publicam vtilitatẽ, commoditatem, & communitatem dictorum Conuentuum, seu Monasteriorum Reformatis concedendorum, eorũq; Ecclesias, Choros, Sacristias, Dormitoria, Valetudinaria, Cellas, Bibliothecas, Refectoria, Cellaria, Coquinas, aliasuè Officinas, vel ad alicuius Officij functionem, aut ad ipsorum Conuentuum, seu Monasteriorum supellectilem, eleemosynas, scripturas, vel libros, spectans; nec ad id efficiendum, consilium, auxilium, vel fauorem alicui, directè, vel indirectè (vt prædicitur) vllo modo præbere. Qui secus fecerit, eo ipso omnibus officijs dignitatibus, & honoribus Ordinis, ac vtraque voce in perpetuum priuatus existat, & pro qualitate delicti, carceribus etiam mancipetur, ac in subsidium pœna excommunicationis mulctetur. Et vt nullus de præmissis ignorantiam prætendere valeat, sub eisdem pœnis, omnibus, & singulis Prouinciarum Ministris, seu Cõmissarijs expresse mandamus, vt cùm primùm de huiusmodi nostro Decreto transumptum habuerint, teneantur per omnes suarum Prouinciarum Conuentus illud cum effectu legi, & publicari facere, ac de publicatione huiusmodi nos statim certiores reddere. Et ita decernimus, statuimus, & ordinamus, non solùm isto, sed & omni alio meliori modo &c. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Palatio nostro die vltima mensis Iunij M. DCIII.

Propterea Nos, vt Decretum prędictum deinceps obseruetur, prouidere volentes, præinsertum Decretum cum omnibus, & singulis in eo contentis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, perpetuò confirmamus, & approbamus, illisq; perpetuæ, & inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac

om-

omnes, & ſingulos, tàm iuris, quàm facti defectus, ſi qui in eo interuenerint, ſupplemus; ac ab omnibus, & ſingulis Miniſtris Prouincialibus, alijsq;, tàm Prælatis, quàm ſubditis dictæ Protectioni ſubiectis, ſub pœnis in præinſerto Decreto contentis, perpetuò obſeruari, ac in ſingulis Capitulis Prouincialibus publicari debere, præcipimus, & mandamus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæterisq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſsis, manu notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo dicti Cardinalis Protectoris, aut alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem, quæ præſentibus haberetur, fides habeatur. Dat. Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimaquarta Iulij M.DCIII. Pontificatus Noſtri Anno Duodecimo.

M. Veſtrius Barbianus.